

domi voluit, loquebatur. Traditur enim primus in mensa pavones possuisse, piscinas extruxisse primus praeterea multas villas habuisse. Ergo rerum quoque copiam in dicendo insectatus est et verborum abundantiam, qua sententiarum mediocritatem quandam occultabat; oratio tamen et mollis et volubilis, multis luminibus exornata, verborum frequens suoque arbitrio copiosioris fluminis instar quod rapiditate ipsa aquarum vix ripis contineri possit, ex eius ore profluebat lateque in audientium auribus usque resonabat. Huius dicendi generi quod nimis indulsit, suo tamquam genio correptus miserrime obiit in rostris, ac si in prima acie miles acriter et gloriose decertans morti in suo munere fungendo occubisset. Etenim cum Appii Claudii causam vehementius ac solitus erat atque contentius diceret, propter nimium animi ardorem incredibilemque mentis animique concitationem, rupta venula quadam in pectore, in suggestum concidit, allatusque lectica domum post paucos dies mortuus est. Eius casum peramanter deflevit Cicero in libri prooemio qui Brutus inscribitur.

*Brut. passim  
multis in locis  
et praesertim  
88. 301-303.*

#### M. TULLIUS CICERO

CVIII. Restat ut ad M. Tullium Ciceronem veniamus, qui non totius modo Latinae eloquentiae lumen et quasi portentum fuit, sed ceterarum quoque disciplinarum auctor et quasi magister omniumque temporum in primis laudabilis scriptor. In agro Arpinati honestissima familia, quam ex regio Volscorum genere fuisse Eusebius tradit, patre vero equestris ordinis a. d. III. Kalendas Ianuarias anno sescentesimo duodequingagesimo post conditam Urbem ortus est. Etiam adulescentulus cum Quinto fratre ex rudi sane ignobilique municipio in urbem Romam omnium disciplinarum sedem venit, ut honorum stadium, si sibi omnia ad id munimenta necessaria comparavisset, quam

*Cic. VII. ad  
Att. 5. 3; II.  
de Leg. 1. 1.*

maximis posset viribus quamque citissime currere eniteretur. Ingenuarum litterarum magistros Archiam poetam Aeliumque Stilonem nactus es, quorum ab altero adeo poeticae studio inflammatus est, ut vix sedecim annos natus de Glauci fabula Anthedonii piscatoris poematum concinnaret; ab altero vero, equite romano egregioque viro atque eruditissimo, litteras omnes et Graecas et Latinas, antiquitatemque omnem una cum Terentio Varrone Rheatino perstudiose didicit. Ut autem ius civile edisceret multum operae dedit Q. Mucio Scaevolae, qui augur est appellatus, multumque oratoribus cotidie audiendis, qui tunc principes erant, ut Antonius, ut Crassus, ut postea autem Hortensius; quos cum acriter causas dicentes aut inter sese disputantes audiret et maximo gaudio afficiebatur et ea admiratione tenebatur, ut iam acres in se de eloquentiae principatu contendendo cum illis aculeos sentiret.

CVIII. A studiis eum bellum sociale distinxit, cui miles interfuit. Militia vero functus statim ad studia, quae intermiserat, ardentiore animo se contulit. Tum a P. Sulpicio in tribunatu cotidie contionante totum genus dicendi penitus cognovit, eodemque tempore admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus Philoni, Academiae principi, qui Romam venerat, totum se tradidit. Eodem anno etiam Moloni Rhodio operam dedit, et actori summo causarum et magistro, itemque Diodoto stoico, a quo in dialectica assidue exercebatur. Quibus studiis ita erat deditus, ut et noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versaretur, ab exercitationibus tamen oratoris nullus dies vacuus esset, idque faceret saepe Latine, sed Graece saepius. In causis tunc primas Hortensius agebat; cuius aemulandi studio impulsus, ad causas et privatas et publicas cum adire coepisset anno sescentesimo sexagesimo tertio pro P. Quinctio herciscundae familiae causam primo dixit. Postero anno, Hortensio adversante, pro Roscio causam publicam primam dixit, tantumque ob eam commendationis

*Cic. pro Archia;*  
*Brut. 56. 207.*

*Cic. Brut. 89.*  
*305 - 307; I.*  
*ad Fam. 13.16.*  
*4; V. Tusc. 39.*  
*113; Brut. 90.*  
*309.*

habuit, ut nulla esset quae non digna suo patrocínio videretur, idemque maximam de se futurae gloriae expectationem concitaret. Attamen cum summa laboraret gracilitate et infirmitate corporis — nam valetudinem nimio disciplinarum omnium studio amiserat — ut conualesceret edisceretque aliud remissius et moderatius dicendi genus in Graeciam profectus est. Athenis ergo cum esset biennium versatus, Antiochum academicum, Demetrium Syrum, non ignobilem dicendi magistrum, audivit. Hoc tempore artissimo amicitiae vinculo sibi T. Pomponium Atticum adiunxit, quem deinceps in amicissimis constantissime habuit, cumque eo simul operam dedit Phaetro et Zenoni epicureis atque Eleusiniis sacris initiatus est. Athenis profectus Asiam totam cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur, peragravit. Inde venit Rhodum ad eundemque se quem Romae audiverat Molonem applicavit. Huius opera igitur dicendi genus penitus mutavit repressa iuvenili quadam dicendi impunitate, qua redundans et supra modum fluens extra ripas interdum crescere solebat. Nimirum cum discessisset ab illa Asiaticorum oratorum copia et verborum abundantia neque ad Atticorum siccam et nudam et pressam orationem penitus accessisset, suum quasi dicendi genus constituit illud, quod medium inter cetera duo Rhodium nuncupatum est.

*Cic. Brut. 90.  
312.*

*Cic. Brut. 91.  
313 - 315.*

*Cic. Brut. 91.  
316.*

CX. Romam cum rediisset in foro cum clarissimis oratoribus habitare coepit, cum Cotta Hortensioque contendere, gestum et vocem a mimis Q. Roscio Aesopoque, qui in scaenis placebant, ediscere. Quo eodem tempore et uxorem duxit Terentiam, et causas nobiles egit, cum quaesturam ipse, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Quaestor omnibus suffragiis dein renunciatus, Siciliam provinciam in annum regendam sortitus est, quam vero ea fide aequitateque administravit, ut patrocínium insulae verius quam imperium nominari posset. Itaque post aliquot annos, cum eius rei gratia eorum patrocínium in Verrem de repetundis accusatum suscepisset, actionem illam

*Cic. Brut. 92.  
318.*

instituit, quam in omnem memoriam litteris dedit. Anno sescentesimo duodenonagesimo aedilis creatus ludos ita publice apparavit, ut de industria et sumptibus immodicis parceret et simul illiberalitatis nota vacaret. Praeturam post tres annos adeptus, ultimum ad consulatum gradum fecit; nam cum legem Manilianam de imperio belli in Mithridatem Pompeio assignando enixe suasisset, popularem auram in se concitavit; cui cum optimatum quoque favor accessisset, quo iam plurimum valebat, tertium quadragesimum annum agens consul in posterum annum omnium gratia primus inter sex adversarios est designatus. Quo consulatu inito, cum Catilinae coniurationem detectam oppressisset, tantam sibi laudem comparavit, ut pater patriae a senatu appellatus sit. Attamen cum patricos quosdam Catilinae socios in coniuratione reos fecisset, eosque ex senatus consulto in vinculis necandos curavisset, eius rei invidia, postquam consulatu abiit, privatoque etiam Clodii odio, in quem testis acerrimus fuerat in iudicio de sacris Deae Bonae violatis, lata a P. Clodio tribuno plebis lex est, qua aqua et igni civibus interdiceretur, qui sine iudicio capitis poena civem quemquam multavissent. Hanc ob causam cum legem illam in se latam esse intellexisset Roma sua sponte profugit. Postero die quam discesserat, cum lex illa sancta esset additaque in eum peculiaris, Thessalonicam in exilium se contulit. Illinc sexto decimo mense ex decreto senatus, suffragiis cunctis totius Italiae Romam rediit, exceptusque ac si triumpharet ad Capenam portam, magno hominum concursu in Capitolium adductus est. Deinceps a publicis muneribus vacuus in studiis sine intermissione versari in foroque frequentior esse coepit in pristinamque apud cives omnes dignitatem atque honorem rediit; ita factum est ut turpiter in Asia a Parthis Crasso interfecto, in augurum collegium in demortui locum cooptaretur et inauguraretur in eodem ab Hortensio. Hoc tempore in iudicio Milonis causam non sine aliquo timore dixit; nam oratoris oculos armati milites terrebant, et arma et centu-

riones et cohortes, quibus undique se stipatum et cinctum videbat. Non exstat oratio, quam Cicero recitavit; etenim quae in manibus omnium est, eam scripsit postea, quae ita perfecta est, ut iure prima haberi possit iureque a Quintiliano pulcherrima et nobilissima appelletur ex omnibus.

CXI. Septingentesimo tertio anno post conditam Urbem proconsul in Ciliciam missus est, ibique cum in hostes res bellicas nonnullas egregie gessisset, imperatoremque eum milites dixissent, sperare visus est fore ut triumphus a senatu decerneretur; in qua voluntate aliqua inerat vis desiderii ad sanandum vulnus iniuriae quam Clodiana lege acceperat. Hinc cum Romam revertit belli civilis incendium extinguere conatus est, quod inter Pompeium Caesaremque simultates excitaverant. Frustra tamen, nam cum vehementius exarsisset, diu anceps fuit utrius partes sequeretur. A Pompeio tandem cum sibi standum esse censeret, anno septingentesimo quinto Dyrrhachium se contulit; at morbo laborans neque pugnae ad Pharsalum, neque ceteris in rerum omnium desperatione strenue quidem a Pompeianis pugnatis interfuit. In summis rerum discriminibus satius duxit se Brundisium recipere, quo ei Caesaris victoriae nuncium allatum est; nihilominus a Caesare veniam impetravit, factaque ei Romam redeundi facultate, in studia, tamquam in portum, e civilibus fluctibus, perfugium invenit. Temporibus tamen haud penitus cessit; beneficia enim, quae a Caesare acceperat, non eum prohibuerunt, quominus, praesente Caesare, pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro rege, qui arma pro Pompeio sumpserant, libere causam diceret.

CXII. Hoc tempore domesticis quoque curis vexatus est; nam Terentiae uxori — qua quidem de causa incertum est — nuntium remisit; deinceps Publiliam pupillam in matrimonium duxit, aut pupulae amore captus, ut Terentia dictitabat, aut potius pupulae divitiarum desiderio, quibus aes alienum persolveret, ut maledice Tiro libertus aiebat.

*Cic. II. ad Fam.  
10; XV., 4;  
V. ad Att. 18.  
et 20.*

Attamen amissa paulo post Tulliola filia, in qua effigiem oris et sermonis et animi sui viderat, quamque in oculis habuerat, cum aut aequo aut etiam laeto animo id funus tulisset Publilia, huic quoque repudium scripsit. In reipublicae nocte, quae tristibus umbris offudit omnia et forum libera oratoris cuiusque voce penitus orbavit, cum se in Tusculanam villam in litterarum sapientiaeque studia se contulisset, eloquentiam, quam vehementissime adamaverat, liberali custodia saeptam domi continuit, ac si eam tamquam adultam virginem ab ignotis ac impudentibus procis caste tueretur atque ab amatorum impetu, quantum posset, prohiberet.

CXIII. Interfecto Caesare, rempublicam tyranno liberatam ratus, propediem se in fori lucem venturum iterum speravit, quam spem simulac Antonius decepit qui, rempublicam in suum unius arbitrium ac potestatem redigere autumabat, cum bene beateque vivendi esset amantissimus, erecto animo iterum in aciem procurrit, Antonioque senatui iura usurpanti, populiue libertatem opprimenti, iisdem viribus eadem ratione ac Philippo Demosthenes bellum indixit. Ex rostris inquam; nam in Antonium sunt orationes illae quattuordecim, quae Philippicae appellatae sunt. His reipublicae fortunam iterum inclinantem restaurare visus est adeo ut, nuntio Mutinensis proelii Romam allato, cunctus populus eum domo in Capitolium ovantes ad rostra adduxerit in eaque conscendere iusserit. At nihil id collabentis reipublicae fortunis profuit; nam icto foedere inter Antonium Lepidumque et Octavianum, qui omnia summa sperans a popularibus ad optimates defecerat, rerum omnium triumviri potiti sunt Caesarisque nece causa interposita vim et mortem in adversarios per insidias adhibuere. Itaque Antonii iussu, quem Philippicis suis summopere irritaverat, proscriptus est Cicero. Quod cum novisset, properavissetque Italia fuga decedere, dum a villa sua apud Capuam, in quam secesserat, ad mare lectica defertur, in itinere vi interceptus ab Antonii sicariis

*Cic. I. ad  
Quint. fr. 3. 3.*

*Cic. Brut. 96.  
330.*

*Cic. XII. ad  
Fam. 13.*

*Respublica Ci-  
ceronis eloquen-  
tiae flore ac ro-  
bore orbatur*



necatus est. Caput manusque trunco praecisa Romam ad Antonium delata sunt, qui, femineis execrationibus ex ore lingua excisa a Fulvia eius uxore, in rostris ea collocari iussit.

CXIII. Atroci Ciceronis obitu flos eloquentiae omnis intercisus exaruit roburque reipublicae intercidit. Etenim interierat ex Romanis postremis haud ultimus vir, qui leviculus sane fuit neque per adversa usque sibi publice constans, attamen cum omnia in dies corrumpentur, cum morum probitate tum singulari filiae, fratris, amicorum amore floruit; qui temporibus non magis servivit quam quantum sapienti conceditur; qui in muneribus publicis gerendis, in legibus suadendis vel dissuadendis ad utilitatem reipublicae unice spectavit; qui cum provincias administrandas accepisset, a rapacitate et rapinis omnibus sese abstinuit, neque deorum templa nudavit, sed humanitate ea usus est, qua sibi plausum conciliaret; qui tanto libertatis studio flagravat tantaque in patriam caritate, ut his unis mentem et doctrinam diceret; qui cum in terris omnia publico fato iacentia spectaret non ignobili fato privato ea vindicavit. Mira qua fuit et ingenii celeritate idemque et navus natura et industrius a puero ad extremam aetatem litterarum et disciplinarum genera fere omnia aut ex aliis delibavit, aut meliora fecit, aut pertractavit. Statim adulescens in poeticam cum se contulisset, praeter poemata quae ad litterarum quasi usum assequendum ex Graecis primus Latine reddidit, nonnulla alia composuit, aliaque iam aetate proventus; quae quidem, etsi divino poetarum afflatu carerent, tamen concinnitate quadam versuum locorumque varietate adeo distinguebantur, ut a veteribus rerum scriptoribus interdum valde laudarentur. De poematis his, quantum ex reliquiis quae ad nos pervenerunt, aut ex monumentis colligi potuit, iam fusius suo loco diximus. Plura, quae oratione soluta conscripsit, orationibus continentur, tum rethoricis libris, tum qui de philosophia sunt, tum denique epistulis, in quibus omnibus maturitas deprehenditur qua, quidquid

*Ciceronis indoles et natura*

conscribebat divina dicendi facilitate, gravitate, elegantia disputabat.

CXV. Peropportune ideo accidit ut, abundantia quadam fortunæ, clarissimi Romanorum scriptoris tot hodie exstant monumenta quæ cetera deperdita vehementius desiderare nos prohibent; nam ex orationibus septem quinquaginta, eaque integræ præ manibus sunt, quibus fragmenta ex viginti aliis nonnulla adiciuntur ceterarumque nomina ad triginta. In utroque eloquentiæ genere summa laude versatus est Cicero; in altero enim, quod forense dicitur, non rabulas modo veteratoresque, quibus forum abundabat, et legum iurisque scientia et oratorie dicendi genere longe valde præstitit, sed clarissimos quoque inter patronos, ut Cottam, ut Sulpicium, ut Hortensium, statim princeps exstitit. In altero autem genere, ad quod civiles orationes spectant in primis, quæ aut de universa republica, aut de legibus, quæ singulis de rebus feruntur, suadendis vel dissuadendis habentur, ceteræ quæ sunt de magistratibus imperiisque dandis aut abrogandis aut prorogandis, Ciceronem equidem unum Romanorum oratorem summum dixerim atque fama immortalem.

CXVI. Ante consulatum multas privatas causas in iudiciis dixit; in his adnumerantur orationes quæ exstant, « *pro P. Quinctio* » de re domestica huic a Caio fratre restituenda, quam pecuniæ creditæ titulo usurpaverat; tum « *pro Sex. Roscio Amerino* » qui de parricidio a L. Cornelio Chrysogono per C. Erucium quendam in falsam insimulationem vocabatur: nimirum Chrysogonus, quem Cicero in sua oratione acerrimo dente lacerat, hoc iudicio in tutum se recepturum vaferrime sperabat, quod Roscii patrem ipse a Sulla proscriptum necavisset et in auctione sibi patrimonium parvi emisset. His accedunt tum oratio « *pro Q. Roscio Comoedo* », qui Ciceronis in pronunciationis et gestus exercitatione præceptor fuerat, tum alia « *pro M. Tullio* » in P. Fabium, obscurum de plebe hominem, cuius familia vim fecisse M. Tullio traditur. Celebratissimæ autem in hoc

*Forense et civile  
orationum genus*

*Orationes, quas  
ante consularem  
annum habuit*



genere sunt actiones duae in Verrem, qui eximia latrocinia in Sicilia fecerat et « *Divinatio in Q. Caecilium* » quae et re ipsa et tempore iudicium Verri praecedit. Verri accusandi facultatem ut ius sibi attribuit, quam rursus iure meliore Q. Caecilius Niger Siculus, Verri assecla, ad se pertinere contenderat quo accusationem ita factitaret ut evanesceret. Sescentesimo octogesimo quarto post conditam Romam anno « *Prooemium primae actionis* » summa vi pronunciavit, instrumentisque causarum lectis testibusque praeterea quam plurimis productis ita reum Verrem esse planum fecit ut Hortensius ipse, cui tunc primum in causa Cicero multum et aetate et auctoritate inferior exstiterat adversarius, indicta ex sua parte causa sua sponte de iure patrocini decesserit, Verresque citius exilium susceperit neque quid de eo iudices ferrent expectaverit. Nihilominus Cicero, ne cives gloriosi laboris fructu defraudaret, actionem secundam conscripsit quam non recitavit. Haec quinque orationibus constat, quae « *de Praetura urbana* », « *de Praetura Siciliensi* », « *de Frumento* », « *de Signis* », « *de Suppliciis* » inscribuntur. Miram apparet ex his orationibus dicendi maturitatem Ciceronem esse assecutum, earum enim vis ac robur non minus in uberrima rerum copia et veritate consistit, quam in ipso dicendi genere soluto, perspicuo, vehementi, imaginibus, lepidis deverticulis, verborum translationibus frequentissime illustrato.

CXVII. Postero anno « *pro M. Fonteio* » orationem in iudicio habuit. Verres alius hic, tota eum Gallia de repetundis accusante, in Gallia Narbonensi fuisse dicebatur. Verumne id an falsum fuerit ex Ciceronis oratione parum constat; nam nec tota est, nec in partibus quae sunt, adversariorum argumenta refelluntur; Galli potius facetissime ridentur qui, capite erecto in foro deambulantes, urbi ferro ignique minitantur. Ceterum sententiam, quam de eo tulerint subsellia, ignoramus. Ceteris annis, qui ante consularem annum fuerunt, ascribitur oratio, quam « *pro A. Caecina* » de iure hereditario habuit; tum

quam « *pro A. Cluentio Habito* » qui non solum veneficii crimine in vitricum suum Oppianicum iudiciis et signis insimulabatur, sed etiam quod in priore iudicio sententias iudicum quaestibus corrupisset, quod quidem et ipse Cicero in defendendo Scamandro quodam liberto aliquomodo probaverat. Quare ut accusationem alteram facile propulsavit, ita artificia excogitanda fuerunt, ut ex altera quoque culpa eum liberaret. His privatis causis alia et re et genere diversa accedit oratio, quam praetor de imperio contra Mithridatem regem Pompeio conferendo ad populum ex rostris dixit. Nam cum lata esset a Manilio, oratione « *pro Lege Manilia* » Pompeius laudibus ornandus fuit; quamquam temperate ornandi copiam, est prosecutus. Hac oratione gradum primum ad civilem eloquentiam fecit, qua consularem annum magnificentissime in posteritatem omnem illustrandum praenunciavit.

CXVIII. Eodem die quo consulatum iniit, qui dies fuit Kalendarum Ian. sescentesimi nonagesimi unius anni post Urbem conditam, in senatu orationem habuit « *de Lege agraria* » ceteras quattuor, quarum ultima non exstat, diebus subsecutis ad populum in concione dixit. Lex agraria, seu Servilia, quam de agris Italiae, Syriae, Asiae, Libyae vendendis et provinciarum quas Pompeius subegerat, Rullus tribunus plebis tulerat, ut civibus egenis lucrum ex agrorum venditione divideretur, Cicerone acriter dissuadente, perlata non est. Eodem anno causam dixit « *pro C. Rabirio perduellionis reo* » a iudicibus renunciato, quod Appuleium Saturninum, turbulentissimum tribunum plebis, septem triginta annis ante in curia conclusum interficiendum curaverat; neque tantum Rabirium senem iam poena exemit, verum optimates quoque et tribunos necis suspicione atque infamia liberavit. Nam tribuni ipsi, sacratis legibus violatis, contraque ius divinum et humanum vim et necem Rabirio intulisse credebantur. Orationem istam splendidam et civilis sapientiae laude praestantem in concione ad populum dixit ad quem, contra sententiam magistratum, provocationem Rabirius fecerat;

*Orationes, quas  
consul habuit*

nihilominus sententia iudicum populi suffragio confirmata atque rata fuisset, nisi Q. Metellus Celer, eius anni praetor, idemque augur, citius dimitti comitia iussisset.

CXVIII. Postridie Nonas Novembres eiusdem anni divino quasi nuncio, Catilinae coniurationem detexit, alteroque ab his die in turpissimum facinoris auctorem, in Iovis aedibus inter patres sedentem subita mentis animique inflammatione percitus quam vehementissime invecus est, ut eum Urbe exterminatum in exilium statim proficisci coegerit. Proxima die iterum in concione, civitate affluente, quae facinora per insidias reipublicae pararentur, civibus ostendit. Coniuratorum consilia coram populo a. d. III. Nonas Decembres tertium repetivit addiditque arma a perfugis apud Allobroges parata iam in patriam inferri. Qua habita oratione ita civium mentes commotae sunt, ut statim oratorem patrem patriae appellarent, statimque in posterum diem senatus in Concordiae aedes vocaretur sententiam de coniuratis laturus. In senatu primus Caesar sententiam dixit: placere sibi bona coniuratorum publica populi Romani fieri. At consul, idem suadente Catone, vehementissima oratione, memoratis Catilinae sceleribus, quasi in animo omnia reipublicae mala a Catilina tantum ventura praesagiret, cuius audacia in tot rerum praesentiarum discrimina civitas venerat, ratus se suumque consulatum ad salutem populi Romani prope fatalem existitisse, per omnia patres precatus, si patriae prospicere, si se, si coniuges, liberos, fortunas suas, populi Romani nomen salutemque defendere vellent, supplicium de coniuratis pro nefandissimo scelere sumendum esse decernerent. Quae Ciceronis consulis sententia cum maiori senatus parti placuisset, indicta causa, in vinculis vesperi coniurati iugulati sunt. Tenebris ad concubiam noctem offusis eius rei nuncium cum a Cicerone illo uno verbo « *vixerunt* » ad populum in viis expectantem esset allatum, clamores omnium et admirationes excitavit. Catilinam arma in patriam nefarie inferentem

*Orationes quatuor in Catilinam*

disperatissimeque pugnans paucis diebus post consul alter Antonius ad Pistorium interfecit. His rerum eventibus, quibus sua tempora dominare visus est, Ciceronis illud: «*Cedant arma togae, concedat laurea laudi*» satis scite dictum apparet. Sunt quattuor istae in Catilinam orationes, quae optimo iure totius Latinae eloquentiae quasi lumina celebrantur; nam non orationis genere oratorem tantum principem probant, sed vehementi reipublicae studio et in patriam amore ardentem virum, atque virum plane Romanum, ostendunt.

CXX. Extremo consulatus anno «*pro L. Murena*» causam dixit, qui cum in comitiis consul in annum esset renunciatus, et a Ser. Sulpicio Rufo, iurisperito haud ignobili, et M. Catone stoico, adversariis eius, de ambitu accusaretur, liber ex iudicio discessit. Deinceps inde ad exilium tres ab eo in iudiciis orationes habitae memorantur, quae quidem exstant. Primam «*pro P. Cornelio Sulla*» dixit, quem aut falsa proditionis insimulatione, ac si Catilinae in coniuratione favisset, aut quod falsam ipse duceret, facili defensione liberavit. Secundam causam «*pro A. Licinio Archia*», quo magistro puer usus erat, quam venustissime egit; huic enim Archiae homo quidam ignotus, Gratius nomine, ius civitatis negabat, eumque ex lege Papia urbe cum ceteris peregrinis exterminandum autumabat, non alia, ut videtur, causa praeter invidiam. In re levicula novo defensionis genere usus est Cicero: nam, facta poetarum laudatione facunda quidem et concinna, magistrum in integrum restituit. Equidem iudices arbitror, quibus Quintus Ciceronis frater, eius anni praetor, praeerat, consularis patroni gratia poetae satis claro, nullo nisi per nefas obstante, civitatem voluisse gratificari, qua iamdiu utebatur. Tertiam vero causam, satis quidem difficilem «*pro L. Valerio Flacco*» suscepit, qui post propraeturam, quam in Asia gesserat, de repetundis a D. Laelio postulabatur. Hunc, quamvis multis testibus astrictum, nugis quibusdam adhibitis, quas ab oratione, cum eam edidit, detraxit, lepidissime periculo liberavit.

*Orationes, quas post consulatum ad exilium dixit*

CXXI. Postquam vero ex populari rogatione ab exilio revocatus summa cum dignitate in Urbem triumphans ingressus est, quattuor orationes pronuntiavit, quae « *post Reditum in senatu* » « *post Reditum ad Quirites* » « *de Domo sua ad pontifices* » « *de Haruspicum responso* » inscribi solent. Tribus primis statim post reversionem senatui, populo, pontificum collegio beneficii accepti gratias peramanter agere voluit et se suaque facta in consulari anno defendere, quae ansam ad eum reprehendum exiliandumque adversariis propter odia privata praeberant. Pontificibus in peculiari ad eos habita oratione dedicationem domus suae deae Libertati nullam esse ostendit. Quam sententiam senatui quoque proximo anno adversus P. Clodium comprobavit, qui omina ab auguribus accepta atque infausta quaedam prodigia religioni domus Ciceroni redditae vertebat. Fuerunt qui orationes istas a Tullianis tamquam subditiças expungendas esse censerent easque recentiori cuidam ignoto declamatori ut suas addicerent, qui exercitationis causa eas conscripsisset. Equidem contra eorum sententiae minime assentiendum esse credo; unus enim sonus est istarum cum ceteris certe Tullianis orationibus atque idem stilus. Neque rursus mihi ab eius ingenio alienum oratorie civitati gratias egisse videtur, quae, cum ipse ad portam Capenam venit, gradus templorum compleverat, ut gratulationem maximo plausu significaret, quae incredibili frequentia et plausu eum usque ad Capitolium celebraverat. In Capitolio autem, eo loquente, miranda multitudo fuit. Ceterum Cicero ipse in criticos acres pro se testis exhiberi solet, qui eodem anno ad Atticum scripsit: « *postridie [reditus] in senatu qui fuit dies Nonarum Septembr., senatui gratias egimus* »; proximoque anno ad eundem: « *Secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae*

*Orationes, quibus post reditum ab exilio senatui populoque gratias egit*

*Cic. IV. ad Att. 1. 5 et 2. 2.*

*deberi non potest, quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito* ». Ex quibus manifesto liquet orationes illas non dixisse tantum, sed scripsisse et ad Atticum sua sponte legendas misisse.

*Orationes, quas  
extremo aetatis  
tempore habuit*

CXXII. Splendorem simul forensem recuperavit; causas enim ad septingentesimum nonum annum post Urbem conditam multas dixit: primam « *pro P. Sestio* » de vi quam armis, cum esset tribunus, intulisse accusabatur; secundam « *pro M. Caelio* » quem, Clodia instigante, pecuniae, fraudis, veneficii L. Sempronius Atratinus postulaverat; tum tertiam « *pro L. Cornelio Balbo* » de civitatis iure, quod usurpavisse dicebatur; quartam « *pro Cn. Plancio* » qui a Iuvencio Lateranense, cum quo aedilitatem petiverat, de sodaliciis accusabatur; quintam « *pro C. Rabirio Postumo* » quem cum A. Gabinio socium et reum de repetundis C. Memmius Gemellus in iudicio fecerat; sextam causam celebratissimam « *pro T. Annio Milone* » eo modo egit, quem paulo supra memoravimus. Vicissim inter haec ne ab accusationibus quidem, iustis de causis coactus, se penitus abstinuit; etenim cum Vatinius quendam, profligatissimae vitae hominem — qui antea in iudicio P. Sextii testis in reum productus fuerat — in manifesto falsi crimine deprehendisset, non modo acerbissime in eum, cum causam diceret, invectus est, sed falsarum tabularum coarguit. In eum itaque postea, cum in iudicio adesset, ita rursus, oratione illa, quae extat, quaeque « *in Vatinius* » inscribitur, acerbius, si fieri potuit, invectus est, ut patefactis eius flagitiis summum in eum populi Romani odium concitaverit et Ciceronis in eum odium proverbio fuerit; hinc natum illud « *Vatinianum odium* » quod pro implacabili odio sumebatur.

*Orationes de  
rebus ad rem-  
publicam perti-  
nentibus*

CXXIII. Ad eloquentiam civilem ceterae orationes pertinent, quas, quotiescumque ei occasio oblata est, aut ad patres, aut ad Caesarem, aut ad populum dixit. Perspecto temporum ordine omnes huius generis orationes illa praecedit, quam septingentesimo anno post conditam Urbem « *de Provinciis consularibus* » habuit. De provinciis

in posterum annum assignandis senatus habebatur. Non eadem erat patrum omnium sententia. Cicero vehementer reipublicae utilitate motus, ut imperium Galliarum Caesari propter maximas res ab eo gestas prorogandum esse patribus suasit, ita munus Syriae A. Gabinio, ita etiam Pisoni Macedoniae abrogandum contendit, propterea quod avarae superbeque atque crudeliter provincias illas administravissent. Auctoritate et gratia, qua post reditum apud bonos cives plurimum valebat, satis facile obtinuit, ut in sententiam suam maiorem senatus partem traheret. Erat Ciceroni in hac re cum Gabinio et Pisone etiam domestica causa. His enim consulibus Clodius legem illam tulit, ex qua vir consularis et pater patriae in exilium est actus; et praeterea cum senatus frequentissimus a Gabinio et Pisone, ut de Ciceronis reditu referrent, quotidie flagitaret, negotii prorogandi causa negabant hi se rem improbare, sed Clodii lege impediri dicebant, quominus senatus sententiam rogarent. Adversariorum odia utrimque, post orationem de provinciis habitam, vehementius exarserunt. Piso enim de provincia reversus apud patres quotidie conquerebatur, quod se Cicero inique consecutus esset, in eumque omnibus locis acrius invehebatur; Cicero vero, occasionem quam primum potuit nactus, maledicentius quidem ac maiore qua in dicendo utebatur dicacitate, oratione illa publice ei in senatu respondit, quae « *in L. Pisonem* » inscribitur. Vehementissime, inquam, respondit; in illa enim « *barbarus Epicurus, Clodianus canis, volturius provinciae, homo deterrimus, teter, truculentus* » Piso vir consularis et Caesaris socer appellatur.

*Oratio de provinciis consularibus*

*Actio in Pisonem*

CXXIII. Ab otio studiorum atque silentio, in quibus, ut diximus, postquam Caesar de Pompeio triumphavit, ex civilibus tempestatibus tamquam in amoenum hortum sese concluderat, victoris moderatio abduxit. Non enim inertia aut animi desidia, sed desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere statuerat; at consilium fregit et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque cum in senatu iterum

*Orationes  
pro Marcello,  
pro Ligario,  
pro Deiotaro  
rege.*

esse coepisset vidissetque eandem clementiam, quam ipse expertus erat, in M. Claudium Marcellum, se cunctoque senatu rogantibus, gratiose a Cesare adhibitam, id vehementer miratus, ita Marcelli nomine oratione illa, quae « *pro Marcello* » inscribitur, Caesari dictatori publice gratias multas egit, ut pro acceptis a se beneficiis eas etiam reddere visus sit. Similitudinem enim rerum suarum cum Marcello videbat. Etenim etiam hic Pompeium in bello civili ardentius secutus erat, quo devicto, ne reipublicae ruinas praesens conspiceret, Mytilenas exul concesserat. Huiusmodi generi duae praeterea orationes accedunt, quarum alteram « *pro Q. Ligario* » alteram autem « *pro rege Deiotaro* » eadem veniae obtinendae causa ad Caesarem dixit; res tamen alteri aliter successit. Priore enim oratione Caesarem ita ad moderationem et misericordiam inflexit, ut Q. Ligario, — cui iratus erat, quod etiam post eius victoriam rebus novis obstitisset — cum in praesens reus de vi a Q. Tuberone fieret, et culpa veniam dederit et Romam redeundi facultatem fecerit. Res autem Deiotari regis venia denegata non ita bene processit. Ad irritum tamen penitus non cecidit, siquidem Caesarem continuit, ne poenam a rege sumeret propter insidias, quas hic illi instruxisse accusabatur.

CXXV. His profecto orationibus, quibus maximas Dictatoris laudes celebravit, viro sapienti non minus temporibus quam levitati aliquantum indulgendum fuit. Neque enim honestum litterarum otium aequo animo ferre poterat, quod in publicis malis solacio sibi futurum esse speraverat, neque curia, iudiciis, foro, concionibus, ad quae natura sua trahebatur, omnino carere assueverat. At Caesare interfecto quamquam nihil eo in victoria moderatius noverat, rem publicam in pristinum statum revertisse ratus fortunae civilium contentionum se iterum commisit, cumque animum viresque recepisset, in Antonium, qui renascentem reipublicae libertatem regie seu potius tyrannice opprimebat, eloquentiae armis de iure publico summa cum dignitate

*Orationes in  
Antonium, qui-  
bus curriculum  
vitae finiunt*



disceptaturus quattuordecim illas orationes, quae « *Philippicae* » ab ipso seu « *Antonianae* » appellatae sunt magna morituri voce conclamavit iisque nobilissimum oratoris curriculum vitamque finivit. Antonius, qui principem civitatis post Caesaris necem se futurum sperabat, Cicero- nem in suam partem trahere conatus est eumque in senatum invitavit; at hic eo die in senatu esse noluit, posteroque die orationem primam in Antonium dixit. Civilem sapientiam adhibens alia Antonii consilia laudavit, alia exprobat, seque tamen liberae reipublicae fautorem et defensorem exhibuit et apertissime ostendit. In secunda oratione, se ipsum contra Antonium defendit, qui eum participem coniurationis in Caesarem fecerat, deinde Antonii vitia crimina mores a puero descri- bit. In ceteris orationibus consules, senatum, populum, incitat, adigit, urget, ut liberae reipublicae rationibus prospiciant. Arma parent, An- tonium reipublicae hostem renuncient, bellum indicant, si rempublicam servare velint, a Bruto Cassioque salutem civitatis expectent. Orationem ultimam a. d. XI Kal. Febr. anno septingentesimo undecimo dixit.

*Cic. II. ad Brut.*  
5. 4.

CXXXVI. Neminem credo, ex temporum omnium memoria orato- rem in iudiciis et concionibus, in foro, in curia, in senatu maiore assi- duitate habitasse, aut maiore gaudio, industria, contentione in omni eloquentiae genere esse versatum. Ius omne civile et naturale in fo- rensibus disceptationibus iudiciorum aut deliberationum non attingit modo sed pertractavit eiusque usum et scientiam et studium ad reipublicae moderandae rationem sapienter contulit. Quam et quan- tam rerum ac disceptationum in suis orationibus varietatem! quot publicas et privatas multifariam pertractatas civium causas! quot de legibus condendis, de iure publico, de maiorum institutionibus integris servandis nobilissimas contentiones! Romanorum profecto nemo aut magis eo dixit aut melius; nemo ardentius eo ex honestissima tantum eorum qui innocentissimi in ius vocarentur defensione, aut favorem aut famam cupiit; nemo in hoc munere fungendo maiorem artem aut

*Incredibile in  
Cicerone elo-  
quentiae studi-  
um fuit*

*Ciceronis cum  
Demosthene  
comparatio*

studium aut firmiorem elatioremque animum posuit. Civili ratione et sapientia orationes illae refertae sunt, quibus rempublicam adversus Catilinam Antoniumque defendit. Ciceronem hanc ob causam cum Demosthene tum animi, tum ingenii, tum eloquentiae civilis laude, non conferendum ex Romanis modo sed adaequandum puto. Sit et nervis et orationis lacertis, quibus in primis se Graecus commendat, Cicero inferior. Careat hic sententiarum fulminibus et quasi verborum ignibus, quibus ille, Iovis instar ex Olympo in homines fulgurantis, et fulgurat et micat et adversarios exterminat. At habet vicissim suos impetus noster et vim et ardores; odiis ex improvise concitatur et indignatur ardentioribusque motibus non minus quam ille tumet et ardet. Quis illo ardentior, quis incitator, cum in Verrem, cum in Clodium, cum in Pisonem, cum in Antonium invehitur. Vicissim sententiarum copia fluentique verborum ambitu Demosthenem superat, quo cum Platone potius contendit; eundemque tum suavitate et concinnitate orationis tum omnium artium atque disciplinarum scientia praestat. Quid si non eadem in omnibus eius orationibus aequabilis rerum granditas et sententiarum reperitur? Nonne sermones quasi familiares, quibus interdum eos qui audiunt docere videtur, et dissimulationes facetissimae, quibus lepidissime carpit, nonne ioci fabulae exempla ad id quod intendit orator magno opere valent? Hac ratione Cicero animorum conciliationem et sensuum permotionem in perpetuis orationibus ita fundit, ut sanguis est in corporibus fusus.

*Orationum  
partes et contextus*

CXXVII. Maxima fuit in eo, in contexendis exordiis, benivolentiae conciliandae facultas, incredibilis adversariorum in probationibus refellendis subtilitas, mira in rebus narrandis exhibendisque rationibus facilitas. In exordiis plerumque dicendi genere utitur temperato, quod medium rhetores dicunt. At floridior in his quoque et fluens oratio est, atque clarissimis verborum luminibus ornata et ad mensuram aliquam cadens, quae aures delectet. Interdum tamen sine

exordio et insinuationem in mediam rem dirupit, ut in orationibus quas in Vatinius, in Pisonem, asperrime dixit. A rhetoribus in exemplum solet afferri initium primae orationis in Catilinam quo nihil incitatus: «*Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam [iam] omnium horum scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quia superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina . . .*» et reliqua. Mira est ceterarum partium convenientia et consensus. Rem enim, de qua vel senatus vel iudices sententiam laturi sunt, ita exponit, ut verisimilis narratio sit, ut omnibus aperta, ut brevis. Pulcherrimae narrationes habentur in orationibus, quas in Verrem dixit. Omnia non solum ordine componit, sed a privata controversia ad universam vivendi rationem dilatat atque convertit. Causam deinde proponit, dividit, omnibus ex partibus inquiri, argumentis ac rationibus confirmat; deinde contraria refutat. Adminiculis omnibus utitur, exemplis ex historiis desumptis illustrat, iocis facetiis levat, interpretatione legum et commentatione adversarios perstringit, crebroque mutato dicendi genere, urgendo, iocando, irridendo, execrando ad extremam orationis partem accedit. In peroratione omnes facile vincit. Multis uno tempore motibus concitatur; ira, odio fremit, humanitate miseratione placatur, iustitiae studio inflammatur et incenditur, pietate

*Exordium orationis primae in Catilinam*

*Cicerontanae perorationes*

restinguitur; sensibus tamen et affectibus quam maxime movetur, qui cum dolore quodam coniunguntur. Perorationes multae laudantur, in praecipuisque habentur illae, quae orationes pro Sulla, pro Milone, pro Murena concludunt. Insignis est quoque qua Philippica secunda terminatur. In illa enim suavis recordatio rerum, quas ab adolescentia, ad consularem annum, ad illam diem pro republica fecerat, cum dolore quodam iungitur animi instantem mortem praesagientis et quasi divinantis: « *Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest; ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, patres conscripti, iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam — hoc mihi maius ab Diis immortalibus dari nihil potest —; alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur* ». His laudibus, quae ad inventionem et compositionem spectant, adde orationem imaginibus ac translationibus tamquam stellis quibusdam illustratam; adde genus dicendi planum, varium, concinnum, numerosum et agendi artem, quam a Roscio comoedo noverat; nihil profecto in eo, quod est perfectissimi oratoris, desiderabis aut mendosum invenies. Hinc accidere solebat, ut statim ac in subsellia locuturus consurgeret, omnes in se audientium oculos mentesque converteret; ut suspensos primo eos incertosque teneret, ut varios in iis animi motus odium, iram, gaudium, pietatem, miserationem, indignationem percieret atque exprimeret; hinc denique ut contracta vi dicendi in extrema peroratione usus, non indoctos modo et plebem, cum in concionibus diceret, sed et patres et magistratus atque Caesarem, et sapientissimos ex Romanis homines, vehementer

Peroratio  
ex Philippica  
secunda

Orationis virtutes  
et adiumenta

permotos ad se alliceret et devinciret in suamque traheret sententiam.

CXXVIII. Criticos nonnullos, qui acriore in Romanas res animo utuntur, iudicium ferentes de Ciceronis laudibus haud parum officere nominis eius famae putant, quod non satis sibi costans fuerit. Equidem verum quod hi uni viri vitio tribuunt, id hominum condicioni, qui tunc fuerunt, ascribo; nam parta adversariorum victoria, quae in bellis civilibus semper insolens est, qui novis rebus vi quadam aut necessitate oboedire debuerunt, temporibus quoque indulsisse existimantur. Fortissimi eius memoriae viri, cum rerum omnium conversio facta est, ab adversariorum iniuriis aut morte suapte sibi manu illata se eripuerunt aut in proeliis de reipublicae libertate decertantes procubuerunt; fortissimi autem idemque sapientissimi, quoad fieri potuit, iniurias omnes atque dolorem aequo animo tulerunt. Libertatem tamen rebus omnibus potiozem Cicero duxit, tranquillitateque optabiliorem. «*Et nomen pacis*» ait «*dulce est et ipsa res salutaris; sed inter pacem et servitatem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum.*» Quam ab causam in extrema rerum omnium desperatione, cum civitas sine legibus sine iure sine ulla dignitate esse coepisset iamque ad mare fugam iniisset «*taedium tandem [Ciceronem] et fugae et vitae coepit, regressusque ad superiorem villam, 'moriar' inquit 'in patria saepe servata'.* Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est».

*Levitatis famam amore libertatis et morte emendavit*

*Liv. apud Senec. Suasor 7.*

CXXVIII. Syntagma de rhetorica arte accuratissime conscripsit octo, in quibus varia et multiplici ratione omnes eloquentiae partes pertractavit. In libro «*de Inventione rhetorica*» quem vix adulescens contulit, Hermagoram rhetorem Rhodium Cornificiumque Romanum, qui rhetoricam ad Herennium scripsisse traditur, magistros potissimum

*Liber de Inventione rhetorica*

sequitur. Duobus libris his, prima rhetoricae pars quae est de inventione, continetur. Hos commentariolos tamen, postquam experiendo magis quam discendo rerum inveniendarum artem penitus cognovit, vix se aetate iam provento dignos et usu existimavit, itaque iisdem rebus retractatis expolitissimos atque perfectissimos libros tres illos composuit, qui « *De oratore* » inscribuntur. In his Crassum, Antonium, oratores superioris aetatis principes, cum oratoribus minoribus eorum aequalibus colloquentes de eloquendi usu atque praecepta tradentes inducit. In primo libro Quinto fratri disceptationem addicit eiusque sententiam refellit: hic enim ad nullam oratoris partem litterarum studia ceterarumque disciplinarum utilia esse censebat; deinde quibus quamque multis artibus instructus esse debeat orator copiosissime docet. In secundo libro de rerum inventione et dispositione agit; altera in argumentis inspiciendis posita est, quae non excogitantur ab oratore, sed in re posita ratione tractantur, atque in inveniendis locis atque rationibus quae in argumentatione collocantur; altera vero ad ordinem collocationemque rerum ac locorum spectat. In tertio libro de figuris de orationis ornamentis, quae ad elocutionem pertinent, de agendi ratione, de oratoris motibus ac gestu, de voce locupletissime pertractat. A communibus praeceptis abhorret, scilicet usum, quem ex causis tot tantisque sex viginti annos actis consecutus erat, auctorem veluti praecipuum prosequitur, adeo ut Aristotelem Isocratemque non aspernetur, sed ad morem suum et patrium institutum interpretetur et antiquorum Romanorum rationem oratoriam complectatur. Has ob causas de oratoris arte praecepta tradens mirum artis opus condidit.

CXXX. Rem oratoriam duobus aliis libris continuavit, quorum alter « *Brutus* » seu « *De claris oratoribus* » alter « *Orator ad Brutum* » inscribitur. Ut autem tractationem expleret tres alios de re peculiari addidit. In libro Bruto ab eloquentiae ortu et incunabulis per gradus et aetates Graecorum primum Romanorum deinde oratorum omnem

*Libri tres de  
Oratore*

*Brutus seu de  
claris oratoribus*

memoriam prosecutus, in notam et aequalem incurrit. In historiarum notitiis ex veterum annalium monumentis colligendis diligentissimum investigatorem et criticum acerrimum se exhibet; singulorum oratorum non tempora tantum notat, sed quid in unoquoque probandum sit, quid rursus improbandum diiudicat; de maximis vero copiosissime disserit, elegantissimeque inter eos comparationes instituit. Summi vero et perfectissimi oratoris imaginem, cui nihil addi possit, quae in bonorum oratorum dissimilitudine sit, optima species et quasi figura liber ille « *Orator ad M. Brutum* » exprimit; huiusmodi vero orator habetur, qui multis artibus, multis litteris instructus, ita sententias illustres et grandes invenit, ita eas verborum luce et splendore distinguit, ut doceantur ii, apud quos dicat, ut delectentur, ut vehementissime moveantur. *Erit igitur eloquens* » ait « *is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae: nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo, in quo uno vis omnis oratoris est.* »

*Orator ad M.  
Brutum*

*Cicero Orat.  
21. 69.*

CXXXI. Ceteri libri tres, quos modo memoravi, quique « *Partitiones oratoriae* » « *Topica* » « *De optimo genere oratorum* » inscribuntur, longe orationis laude et disserendi ratione inferiores sunt. Primus enim breviter ac summatim praecepta omnia de arte dicendi complectitur ea ratione qua in scholis tradebantur. Cicerones colloquentes inter se pater et filius inducuntur ut filius a patre sententiam roget, pater respondeat. Ob similem hunc atque unum usque dicendi modum, ob artem et rationem praeceptorum tradendorum, quae ad tabulas et quasi leges exiguntur, non sine fastidio et molestia a litteratis hominibus leguntur. In libro, qui de topicis est, inveniendorum argumentorum ars et disciplina continetur. In itinere topica sua memoriter ex Aristoteleis topicis conscripsisse ex ipso novimus eaque

*Syntagma, mi-  
nora Partitiones  
oratoriae,  
Topica.*

*Cic. VII. ad  
Fam. 19.*

ad C. Trebatium misisse, hominem in iure prudentissimum, qui cum in Tusculano, in Ciceronis bibliotheca versans, in Topica Aristotelis incidisset hac inscriptione commotus a Cicerone librorum eorum sententiam requisiverat. In prima parte libri, qui de optimo genere oratorum est, criticorum eorum sententias refellit, qui oratorum genus multiplex et varium esse dicunt tamquam poetarum. Cum enim poematis tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, quo magis est tractatum a Latinis, suum cuiusque est diversum a reliquis, unum est genus dicendi perfectum, unus orator summus, qui et docet et delectat et permovet. Docere autem debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium. Hinc vero ad id quod maxime intendit, gradum facit. Etenim cum oratores Romani, qui Attici appellantur, Ciceronem exprobant, quod verborum ornamentis in dicendo copiosior esset, quaerentes in quo revera genus Atticum tandem consisteret, inter se sine acerbitate disceptarent, adversus eos acutissime quidem de illo genere ita disputavit, ut a disputandi subtilitate ad exempla, quae ratiociniis potiora sunt, controversiam traderet. Ideo ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes « *de corona* » inter seque contrarias, Aeschini et Demostheni, ob hanc causam Latine convertit, ut homines Romani, « *quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent intelligant* » Dolet summopere has orationes a summo oratore conversas temporum iniuria evanuisse. Rhetoricis libris, praesertim illis qui de oratore sunt, Ciceronem credo quae de tota arte dicendi a Graecis accepisset fecisse meliora; omnia enim tot orationis luminibus illustravit, tantaque arte et studio explicavit et limavit, ut oratio et mollis et pellucens atque flexibilis sit, eademque ad subtilissima quaeque abstrusis de rebus significanda scriptoris arbitrio detorqueatur et effingatur.

CXXXII. Sapientiae monumenta aliqua Latina ante Scipionis quoque et Laelii aetatem fuisse apud Romanos non certis quidem

*De optimo  
genere oratorum*

*Cic. de Opt. gen.  
orat. 5.*



antiquitatis testimoniis, sed indicis quibusdam et vestigiis suspicatur Cicero. Nam cum in Italia floreret Graecia ea, quae Magna dicta est, a Pythagora primum, deinde etiam ab eius asseclis atque discipulis numero prope infinitis sapientiae voces ac doctissimae prolatae sunt quae Romanorumquoque aures non penitus clausas percellerent. Pythagoreus quidam, immo Pythagorae auditor, rex Numa fuisse traditus est, qui aequitatem, disciplinam, instituta, religionem mox conditae civitati donavit. Carminum illorum, originem quae in conviviis canebantur, auctor in Originibus gravissimus Cato, a Pythagoricis occultius traditis praeceptis, a cantu fidibusque repetivit, quibus sapientissimi illi homines mentes suas a cogitationum intentione ad tranquillitatem traducere soliti erant. At de his hactenus; nam videri possunt apud Ciceronem. Sapientiam vero, quae potissimum amplissima illa bene vivendi disciplina continetur, longum quidem saeculorum spatium, quo erat populus Romanus et ingenio et instituto ad rerum usum proclivore, vita magis quam litteris persecutus est. Hanc ob causam accidit quoque ut cum, bello Tarentino confecto, litterae, artes, ceterae Graecorum disciplinae Romae statim floruerint, philosophiae contra studia ab omnibus neglecta vel spreta multos adhuc annos humi iacuerint; ab iis enim sive rerum magnitudine occupationeque distinebantur, sive etiam quod, nullis praepositis praemiis, nulli esse usui sapientia arbitrabatur, idcirco non ab imperitis modo sed a doctis quoque et sapientia aliqua imbutis vehementer improbabatur. Itaque Catonem novimus, cum tres philosophos illos Carneadem academicum, Diogenem stoicum, Critolaum peripateticum, Romam legatos missos pro iustitia dicentes audivisset eandemque rursus impugnantes, ita contra eos in senatu egisse ut statim, re habita, Urbe dimitterentur. Nihilominus his Graeculorum studiis, nihil prohibente Catone, cum ad id tempus delectari coepissent Romani, in eorum domos doctissimos peregrinos illos receperunt, qui sibi liberisque sapientiam traderent. Hoc autem

*Antiqua Romanorum sapientiae vestigia*

*Cic. IV. Tusc. 1-3.*

modo, philosophorum scholae, quae clarissimorum sapientium oblivione in Graecia extinguebantur, tentoriis Romae constitutis, aliena in urbe revixerunt. In maximis tamen huiusmodi philosophorum disputationibus, nulla certa aut definita ratio et disciplina prae caeteris superior discessit quoad epicureorum inventa, cum praecones Romanos quosdam maximos Lucretium, Amafinium, Rabirium, Catium habuissent, Italiam totam occupaverunt. At de his plura supra diximus.

CXXXIII. Hoc tempore igitur Graecorum sapientiae cognoscendae causa, poemata illorum Latine reddita sunt, vel ex doctrinis ipsorum nova confecta, quae paulo supra recensuimus. Hoc loco tamen ea liceat mihi, iterum nominare. In his praecipua sunt « *Φαινόμενα* » et « *Προγνωστικά* » quae ex Arato Cicero vertit, tum « *Empedoclea* » quibus Cn. Sallustius Empedoclem interpretatus est; tum duo illa poemata « *De rerum natura* » ab Egnatio et a M. Varrone Reatino ex iisdem doctrinis composita. Philosophorum tamen Graecorum sapientiam libris sermone soluto compositis scriptores duo hac aetate complexi sunt, Cicero et M. Brutus eius aequalis et familiarissimus. Hic enim in illa philosophiae parte, quae de hominum moribus agit, praecipuus stoicorum interpres fuit, in illa autem, quae rerum contemplatione continetur academicos veteres secutus est. Ex libris, quos hic « *De virtute* » « *De officiis* » « *De dolore ferendo* » scripsisse memoratur, inscriptiones tantum a grammaticis antiquis referuntur. Ceterum parum auctoritate valuit apud aequales si Catonem Uticensem illum excipias, qui cum totam aetatem ad stoicorum praecepta accommodavisset, nobilissima morte illa eorum imaginem perfectam in extrema vita espressit. De Lucretii vero poemate hoc loco nihil dicendum; nam supra, quantum ad rem nostram spectat, fusius locuti sumus.

CXXXIII. Igitur Cicero epicureorum sapientiae, quae omnes Romanorum mentes occupaverat minime assentitus — nam adolescens ab Antiocho atque Philone philosophis, qui ex academicorum scholis

Poemata de  
rebus ad philo-  
sophiam spe-  
ctantibus

Cic. XIII. ad  
Fam. I, 2.

profecti erant, adiumenta sapientiae ad oratoriam quaesiverat — cum in philosophiae studiis a republica paene remotus extremam aetatem beatam agere statuisset, institutum suum ita tenuit ut, nullis unius disciplinae legibus adstrictus, quid esset in quaque re maxime probabile semper requireret. Ergo cum Graecorum philosophorum doctrinas, quas ipse probaret, Romanos docere statuisset, ut nihil suum invenire contendit, ita quae ab illis tradita acceperat, ad Romanorum ingenia accommodavit. Hac de causa praetermissa illa philosophiae parte, quae in rerum contemplatione tantum versatur, atque etiam parte altera, quae philosophia naturalis appellatur, summam se assecuturum laudem ratus est, si sapientiam eam, quae tota in actione est quaeque una homines docet quid in moribus bonum sit quidque malum, e Graecorum disciplinis et inventis erutam ad artem quandam et rationem exactam in Romanorum utilitatem evulgaret.

Cic. IV. Tusc.

4.

CXXXV. Huiusce generis igitur decem libri illi sunt, quos extremo aetatis tempore ipse auctor conscripsisse nobis testatur. A servanda temporum ratione, quam etiam in enumerandis libris ex ordine, quo editi sunt, sedulo instituimus, hoc loco mihi discedendum censeo; neque enim omnes exstant, neque integri, qui sunt; ceterum alii re ipsa quam tempore ad alios propius accedunt. Re itaque inspecta alii de moribus singulariter hominum sunt, deque eorum officiis; alii de religione; in aliis denique de hominibus generatim atque univarse inter sese coniunctis, seu de societate disputatur. Ad primum genus libri quinque, qui « *De finibus bonorum et malorum* » inscribuntur, spectant in primis; tum « *Tusculanae disputationes* » quas cum quinque dierum scholis, ut Graeci disceptationes huiuscemodi appellare soliti sunt, continuisset, in totidem libros eas redegit; tum etiam, libri tres « *De officiis* » quos ad Marcum filium misit; tum libelli duo, alter « *Cato maior* » seu « *De senectute* » alter autem « *Laelius* » seu « *De amicitia* » qui propter germanam orationis innocentiam atque

venustatem, qua uterque illustratur, aurei inter ceteros habentur, tum denique libellus « *Paradoxa ad M. Brutum* ». His vero omnibus et alii accedebant, qui temporum edacitate, praeter eorum inscriptiones et vestigia quaedam, ex integris evanuerunt. In eorum numero primum locum « *Hortensius* » tenebat; in hoc enim tamquam in universo prooemio, mirifica quaedam inerat totius sapientiae laudatio, in cuius profecto sinum homines invitabantur. Addebatur « *De virtutibus* » liber qui rem explebat, quae in libris de officiis disputatur; atque etiam « *De gloria* » quem pervolutatum a Petrarcha novimus; item postremo quem post Tulliae filiae obitum confecit, quemque ex re pertractata « *De consolatione* » inscripsit.

CXXXVI. At revertamur ad libros « *De finibus* » in quorum singulis singulae diversarum scholarum sententiae explicantur eademque aut exploduntur aut pro Romanorum ingenio comprobantur. In primo itaque libro epicureorum inventa et praecepta penitus perspicuntur, in altero eadem refutantur ac diluuntur; in tertio probabilis stoicorum de eadem re doctrina ostenditur esse; in quarto item academicorum ita tamen ut comparatione inter utramque scholam instituta eadem esse concludatur academicorum de hac re doctrina ac stoicorum; de utraque fusius in quinto libro disceptatur. In « *Tusculanis disputationibus* » autem disceptatio tota est de bene beateque in his terris vitam agendo: res ergo humanae omnes in controversiam cadunt, quae nos perpetua felicitate aut spoliare aut ab illa prohibere videntur, in primisque metus mortis et corporis dolores animique, perturbationes reliquae, in quibus omnibus, cum vicissim vel uno simul tempore esse possimus, neminem beatum esse posse satis perspicuum est. A sapientibus igitur est contemnenda mors quia, cum quasi migratio quaedam sit et vitae commutatio, in claris viris et feminis dux in caelum ad deos esse solet, cum quibus perpetuo aevo perpetuaque felicitate mortui fruuntur. Item a viro sapiente etiam dolor malorum

*De Finibus  
bonorum et  
malorum*

*Tusculanae  
disputationes*

omnium maximus contemnendus et despiciendus est aut aequo animo ferendus; quod si magnitudine sua tolerari nequeat, morte voluntaria est arcendus. Effrenatae vero cupiditates, desideria, furores, animi anxietates et curae aut perenni quodam sui imperio moderanda sunt, aut ratione cohibenda, aut sapientia omnino fugienda. Virtutem contra unam ut assequatur summopere eniti debet qui sapiens esse velit, quae quidem sola homines et bonos et beatos reddere potest, quaeque aut non esse mala docet, quae generatim mala esse ducimus, paupertatem, solitudinem, omissionem suorum, caecitatem, perditam valetudinem, interitum patriae, exilium, servitutem, aut nobis fortitudinem ut arma ministrat. Ex conlatione virtutis cum malis ad vitam cunctam credamus legem illam valere « *aut bibat, aut abeat* » quae in Graecorum convivii obtinebatur: atque recte deinde quas fortunae iniurias ferre nequeamus, eas fugiendo relinquamus. Librorum argumentum ipse ita enucleatim alibi exponit: « *Libri Tusculanarum disputationum res ad bene vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, tertius de aegritudine lenienda, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus docet ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam* ».

Cic. II. de  
Div. 2.

CXXXVII. In disputatione, quam « *De officiis* » instituit, rerum seriem continuat, cui initium fecerat de finibus disceptans. Nam cum officiorum quaestio duplex sit, altera quae pertinet ad finem bonorum, altera quae posita est in praeceptis, quibus usus vitae conformari possit, ex prima, de qua libris illis iam disputaverat, ad alteram explicandam gradum facit. In rebus agendis honestumne quid factu sit an turpe primum exquirendum; tum utrum id ad vitae commoditatem conducat necne inspiciendum; demum an pugnet cum honesto, quod utile esse videtur. Quae quidem quaestiones tres tribus libris continentur; in iisque explicandis praeceptisque tradendis stoicos potissimum sequitur, non ut interpret, sed, ut solet, e fontibus eorum iudicio arbitrioque suo

Disputatio de  
officiis ad filium

quantum quoque modo videtur haurit. Praecipuam huius operis laudem in illa parte invenio, in qua reipublicae regendae rationem arctissimo vinculo coniunctam esse docet cum moribus privatorum ac disciplina; qua de causa, memoratis maiorum exemplis, aetatis suae exagitat homines, qui specie quadam omnium utilitatis privata iura pervetunt.

CXXXVIII. In libro autem qui « *De senectute* » inscribitur, Cato, vir integris maiorum moribus ac vigente republica praeclarissimus, mirificum senectutis elogium profert. Quattuor hic, animo complectens, reperit causas, cur senectus misera videatur: « *unam, quod avocet a rebus gerendis, alteram, quod corpus faciat infirmius, tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam, quod haud procul absit a morte* ». His vituperationibus copiosissime explosis, quibus generatim senectus incusari solet, non omnium modo aetatum eam auctoritate et dignitate honoratissimam esse et haberi ostendit, sed multis quidem et iustis de causis adulescentia ipsa et animosiolem et fortiorem esse contendit, si bonis adulescentiae fundamentis sit constituta. Amicitiae item laudationem in libro « *De amicitia* » pulcherrimam Laelius facit; nam primum eam omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate summam consensionem esse ducit, tum quibus ea causis inter homines nascatur docet; deinde a quo quibusve rationibus expetenda sit disceptat; demum quae munera, quae officia, quae gaudia, quae bona inter amicos pariat, copiosissime elegantissimeque ostendit. In ultimo libro, qui ad hoc genus philosophiae spectat, et « *Paradoxa* » inscribitur, stoicos imitatus philosophos, qui sententias a communi sensu abhorrentes proferunt easque minutis interrogatiunculis veras esse probant, illa ipsa communia, quae vix in gymnasiis et in otio stoici probant, ludens in communes locos coniecit, de quibus et sapientes disputant. Sex itaque in hoc libello continentur sententiae quarum unaquaeque, ut prima illa « *Ἄνθρωπος μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν* » id est *quod solum bonum honestum*, in disceptationem vicissim cadit,

*De senectute*

*Cic. de Senect.*  
5.15.

*De amicitia*

*Paradoxa*

ut etiam illa postrema « Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος » quae idem sonat ac *quod solum sapiens dives*.

CXXXVIII. Ad secundum autem genus, quod supra statuimus, libri tres « *De natura deorum* » duo « *De divinatione* » unus « *De fato* » pertinent, in quibus de universa re religiosa disputat. Quae itaque de natura deorum ab epicureis, a stoicis, ab academicis subtilissime inventa tradebantur, ea in primo opere refert et illustrat, ut nonnulla delirantium somnia dicat, alia non penitus absurda ducat, alia vero ad veritatis similitudinem propensiora censeat. Quid vero ipse de deorum natura sentiat, haud facile patet, quamvis pro certo deos esse habeat, eosque pie sancteque venerandos esse doceat. In secundo, quod est de divinatione, praesensionem aut certam rerum scientiam futurarum ex signis et ex prodigiis, quae dicuntur, colligi posse negat, lepidissimeque ridet homines qui in illa arte assidue versantur, quam Graeci « *μαντικὴν* » appellant. In libris de fato sententias stoicorum, praesertim refellit, qui omnia quae honesta aut scelerosa dicuntur, quae hominum voluntate fiunt, ita fato quodam contineri arbitrantur, ut causis liberis semotis, ex necessitate causarum ante deorum numina constituta in suum quaeque tempus certissime eveniant. Quibus rursum philosophorum deliramentis refutatis, quam pro Romanorum iure atque sapientia praestitutam agendi potestatem esse noverat, eam hominibus inesse docet, ut quidquid agere velint, id libere ex voluntate queant neque ad ea quae nolint, ullo modo intrinsecus cogantur. Patet ergo ex hac disceptatione occasionem captavisse, ut legum sanctitatem, poenarum atque praemiorum, quibus homines pro rebus actis afficiuntur, quibusque republicae florent, in certis quibusdam philosophorum ratiocinationibus totam consistere probaret.

CXXXX. Tertio genere libri de civili sapientia continentur, quorum alteros « *De re publica* » alteros vero « *De legibus* » inscripsit. Platonem in libris de republica auctorem praecipuum secutus est, qui

*Libri de  
Republica*

*Ciceronis  
propositum*

*Val. Max. IV.  
Mem. 1. 10.*

*Cic. IV. ad Att.  
16; II. ad  
Quint. fr. 14.*

republicam illam excogitaverat; non tamen exemplar aut speciem quandam perfectae reipublicae sibi effingendam constituit, sed rempublicam qualem et rerum usu et germana clarissimorum virorum sapientia sensim sine sensu novis usque legibus conditis veteres illi patres civitatis imagini consentientem conformaverant, eam sane et optimam esse et perfectissimam omnium populorum, qui aut tunc essent aut ante eos florissent, rerum tabulis ac testibus planum facere aggressus est. Non igitur ad eam rempublicam, in qua pauci tantum iique optimates dominabantur, qualis propter bella civilia memoriae suae evaserat, intentionem convertit, sed integrae maiorum disciplinae desiderio quodam commotus, oculorum aciem potissimum in eam defixit, quam ex rerum gestarum domi bellique monumentis summo-pere vigiuisse noverat. Scipionis enim Africani Minoris aetate, dissensionibus omnibus de iure aequando inter cives sapientissime compositis, quae tot eam annos antea perturbaverant, cum ex iure aequo a bonis civibus cum popularibus leges civitati describerentur, omnium in republica bene gerenda conspiratione civitas illa bene constituta effloruerat, ut Scipionis iussu publicae deorum rogationes immutatae fuerint, quibus dii de republica, quae esset conservanda potius quam amplificanda, rogarentur. Videlicet descriptio illa civitatis tunc primum facta est, eaque instituta eaeque leges condita, ut populus universus ex patribus et plebe mixtus rempublicam maxima ordinum concordia administraret. Quae quidem aequabilis in republica civium compensatio cum Ciceronis memoria novis rerum eventibus procubisset et in optimatum beneficium magno civitatis detrimento vertisset, ea rerum omnium commutatio evenerat, ut non respublica libera modo, sed et civitas ipsa proclivius in perniciem magis magisque in dies collabere-tur. Consularis homo Cicero in republica exercitatus in pristinum eam statum a corruptione revocari posse ratus, seque patriae patrem etsi muneribus orbatum sua saltem sapientia reipublicae incolunitati



profuturum sperans, spissum sane opus et operosum illud exarare instituit, quo cives reipublicae regendae artem doceret.

CXXXXI. Quo in conficiendo cum in Pompeiano, in Cumano, in Tusculano assidue elaboraret, de totius eius contextu et in libros distributione consilium rationemque mutavit. Nam sermonem, quem in novem et dies et libros primum de republica exigere statuerat, in sex libros et dies tres postea contraxit. Item dubitavit sermonemne alternum et Scipionis aetati referret et clarissimos eiusdem aetatis viros de republica inter se loquentes faceret, an potius ipse in hac sua memoria primas disceptantis partes ageret. Etenim in Tusculano cum esset, legissetque, audiente Sallustio, duos primos libros « *de optimo statu civitatis et de optimo iure* » admonitus est ab illo multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse si ipse loqueretur de republica, praesertim cum non esset Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in republica rebus esset; neque ea, si ita id ageret, visum iri ficta esse, quod tam antiquis hominibus attribueret. In hanc Sallustii sententiam et ipse per se movebatur quod essent aetate inferiores, quam illi qui loquerentur. Ab hoc tamen consilio ineundo eum timor distinuit, ne, in sua tempora incurrens, offenderet quemquam. Hanc ob causam quae ipse de republica sentit, Scipionis ore praeclarissimi viri, cum Philo, Laelio, Manilio, Mummio disputantis, audientibus vero adolescentibus quibusdam, Tuberone, Rutilio, duobus Laelii generibus, Scaevola Fannioque, copiosissime exponit atque incredibili disciplinarum omnium scientia, iuris, legum, institutorum, et historiarum notitiis explanat et illustrat. Vexatissimos ab auctore libros et media quae dicuntur tempora crudelissime vexaverunt. Ab extrema internecone praeter « *Somnium Scipionis* » illud, quod ultima parte libri sexti continetur, quodque Macrobius in suos libros illustrandum retulerat, praeter loca alia quae ab Augustino, a Lattantio, a Nonio, a Prisciano alligantur, acerrimus ille veterarum

Cic. III. ad  
Quint. fr. 6.

scripturarum Italus indagator Angelus Mai nobis posteritatiq̄ue omni libros servavit. Eorum enim duos fere integros miraculo quodam e celeberrimo palimpsesto Vaticano erutos in lucem edidit, in quo novis super litteris inscriptis, in occulto latebant.

CXXXII. In huius operis prooemio sui ipsius imaginem Cicero exhibet eo dignitatis sensu ac si praesentiat se, quamquam publicis honoribus omnibus in solitudine orbatum, immortalitatem ob merita sua in posteram memoriam esse assecuturum. « *Quamquam* » inquit « *casus nostri plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae, quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percipimus, quam ex laetitia improborum dolorem.* » Se ipsum quoque extrema huius proemii obscurata oratione designat: « *Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare iam conditas* ». Hinc novendialibus iis feriis, quae Tuditano et Aquilio consulibus fuerunt, sermo inter colloquentes instituitur ut, quibusdam, Platonis more, de sole, de caelo astris distincto, ineundae disceptationi notitiis praemissis, Laelium a Scipione ita de republica sententiam tamquam ex improvviso sciscitantem inducit, ut sermonem in rem, de qua sibi disceptare proposuerat, eleganter adducat. In primo itaque libro quid sit respublica definitur, et quo modo inter coetus hominum potestas oriatur, cuius consilio regenda sit, ut diuturna sit, indagatur. Deinceps tria civitatis genera distinguuntur, primum cum omnium rerum summa penes eum est, quem regem vocamus; secundum cum est penes delectos, ita ut civitas optimatum tantum arbitrio regi dicatur; tertium autem est civitas popularis, in qua apud populum omnia sunt. Quorum trium generum quodvis, si teneat commune illud iuris et utilitatis vinculum, quod homines inter se, reipublicae causa, primum societate devinxit, non perfectum illud quidem neque optimum est, sed tolerabile tamen, ut aliud alio possit esse praestantius. Memoratis inde uniuscuiusque

istiusmodi imperii vitiis, quantum quoddam genus reipublicae maxime probandum et anteponendum esse concludit, quod est ex his, quae prima dicit, moderatum et permixtum tribus.

CXXXXIII. A perspicua disputandi ratione memorandum illud exemplum, quod ex vetustatis monumentis exprimere statuerat, in secundo libro disceptationem convertit, in quo ex eorum qui disputant ore, quae quantaque fuerit maiorum respublica multa rerum notitia depromit et multa admiratione proloquitur. In tertio libro de iustitia disceptatur, sine qua rempublicam nullo modo regi posse demonstrat Philus enim, suscepto improbitatis patrocinio, vituperationes illas, quas multis subtilibusque ratiocinationibus Carneades, vir acutus sane, sed petulans, contra iustitiam dixisse tradebatur, tamquam si excogitaret ipse, Scipioni in contrariam partem disserenti opponit, quo facilius ex rebus contrariis verum dignosci queat. Ex disceptatione legem veram illam esse Scipio concludit, quae iubendo ad officium vocet, vetando a fraude deterreat; eam et sempiternam et costantem et in omnes ab ipsa natura diffusam esse docet; qua tandem leges, quae ab hominibus in republica fiunt, et iustitia, quae societatem humanae coniunctionis aequae administrat magnificeque tuetur, tamquam solido fundamento nituntur. Quarto libro, quantum ex fragmentis, quae pauca admodum ad nostram memoriam manent, colligere licet, materiam omnem et silvam rerum quasi infinitam maiorum mores praebant, domesticae laudes, publica privataque instituta, quae singillatim ad unum et enumerabantur et iis laudibus afficiebantur, quibus cives, eius aetatis ad ea imitanda, si fieri posset, impellerentur. Frugalitas maiorum, animi moderatio, abstinentia ceteraque virtutes praedicabantur; de re domestica, de sumptibus, de amore coniugali, de ceteris inter coniuges officiis, parentum in filios, rursus liberorum in parentes multa praecepta pro maiorum institutis tradebantur. Hinc in quinto libro sermonem ad eam puerorum instituendorum rationem trahebat, ex qua et cives

probissimis domesticis moribus provenirent et in republica quoque regenda exercitissimi. Quam puerorum instituendorum rationem in legibus cognoscendis, et in brevilocutione quadam sitam esse docebat, ex quibus iuvenes arma compararent ad publica munera obeunda.

CXXXXVIII. In ultimo denique libro, quo facilius ad sua tempora rem, quae in ceteris quoque pertractaverat, totam perduceret, de rerum publicarum eversionibus disceptabatur, quibus eae de causis oriantur, quae ex nefandissima inter unius civitatis cives discordia simultates odia proveniant, quorsum postremo quantoque omnium salutis detrimento, exortis inde bellis civilibus, se vertant. Hinc sermo in decretorum legumque describendorum rationem incidebat, qua adhibita, veteres illi rerum publicarum conditores et moderatores suam quisque civitatem effecerant fortissimam. Deinde multa de rebus ad religionem spectantibus docebat, de deorum pietate atque cultu, de sacrificiis, de precationibus, de diebus festis, de mortuorum manibus, quorum adiumento et deorum numina placantur, et respublicae ab hominibus conditae divino quodam iure sancuntur. Extremo vero libro celebratissimum « *Somnium Scipionis* » tamquam mirificum exodium adiecit, quo ipse cum Scipionibus, quod rempublicam consul servavisset, ad astra illa beatus scandere visus est, a quorum descriptione fortuito totus sermo duxerat initium.

CXXXXV. His libris accedunt tres, quos « *De legibus* » composuit. Quorum in primo leges scriptas ab illa lege aeterna, quae ius universum dicitur, in hominum animis divinitus iniecta, depromendas esse contendit; tum in secundo libro de iure pontificum agit, tum in tertio de magistratibus eorumque muneribus disserit. Ad universam denique philosophiam generatim spectant, ut non uni potius quam alteri trium generum, quae diximus, ex integro addicantur, quaestiones illae de optimo philosophiae genere, quas primum in duos libros exegerat, alterum « *Catulum* » alterum « *Lucillum* » quos deinde ita in ipso

perpoliendorum labore dilatavit ut in quattuor distribueret. Hos ad Terentium Varronem remisit et quia in villa sua ad Puteolos, quam exemplo Athenarum Academiam vocare solitus erat, eos ex integro fecerat «*Academicos*» cum retractatos iterum foras emisit, inscriptos voluit. Aetatem «*Luculli*» fragmenta pauca ad nostram usque memoriam tulerunt; at vero exstat «*Academicorum*» liber primus extrema parte in codice a tempore exesus. Res in eo continentur, quae non parum delectationis habent; etenim notitiam philosophorum Graecorum omnem a Socrate ad Carneadem Cicero per gradus complectitur.

*Ci. IX. ad  
Fam. 8.*

*Cicero Graecorum sapientiam evulgavit et oratione sua illustravit*

CXXXXVI. In his libris de philosophorum sapientia conficiendis, Graecorum morem imitatus, scholas et ipse habere instituit; nam cum ponere iussisset, de quo quis audire vellet, de eo aut sedens aut ambulans, ut est in proemiis, aut ipse cum amicis disputabat, aut eos inter se disputantes faciebat. Ex disputationibus inde reapse habitis, ex iisque quae numquam habitae essent, ut mos dialogorum concedebat, sermones alternos faciebat, ac si res non narraretur sed ageretur. De laude quam omnium sententia maximam in hoc quoque litterarum genere meritus est, parvam partem tantum sibi ipse adscribit; ad Atticum enim de his libris haec scribit: «*Ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt, verba tantum adfero, quibus abundo.*» Verecundius mihi videtur iudicium, quod ipse de se profert: nam ea omnia, quae a Graecis deprompsit Romana pumice, idest Romana sapientia, perfecit, perpolivit, accommodavit. Multa quoque nova ex domestico rerum usu ipse adiecit, multa quoque minus Romanorum ingeniis, legibus, institutis congruentia subduxit, omnia denique iis coloribus pinxit et verborum luminibus propriis illustravit, ut suum germanum quid et peculiare ex universa Romanorum stirpe natum a legentibus scripsisse credatur. Quod ad orationem spectat, si Platonem excipias, plenior eam ac esset in Graecis, atque elegantior effecit. Id ipse in se facile agnoscit. «*Nec vero hoc arroganter dictum existimari*

*Cic. XII. ad  
Att. 52.*

*velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi adsumo, videor id meo iure quodam modo vindicare.* » Quae quidem laus valde crescit, si modo prae oculis nobis verborum « *egestatem* » ponamus, quae se laborare Lucretius profitetur; rursusque Ciceronis abundantiam et copiam et concinnitatem, atque orationis venustatem et varietatem colorum consideremus, quibus, summa qua solet in ceteris operibus arte poeticis verbis sententiarum granditatem illuminat.

CXXXXVII. Ciceronis aureae epistulae extant complures, quas vivo quidem auctore et post eius mortem a M. Tullio Tirone liberto animo in patronum gratissimo in unum collectas esse memoriae proditum est. Hic, conquisitione hinc illinc facta, quam maximam potuit, centenas invenit easque ita distribuit, ut quas « *ad Familiares* » miserat in sexdecim, quas « *ad Atticum* » quem vehementer amabat tamquam alterum fratrem, in totidem digesserit libros « *ad Quintum fratrem* » in tres « *ad M. Brutum* » in duo. De multis variisque rebus cum amicis pluribus, cum Terentia uxore, cum Tulliola filia in illa prima domesticarum litterarum corona peramantissime loquitur, in quibus rerum suarum et publicarum quoque notitia et silva quaedam latet infinita. Inter istas nonnullae inveniuntur commixtae, quae ad eum ab amicis quibusdam rescriptae sunt. In epistulis vero, quas ad Atticum misit, virum sane praeclarum et a reipublicae muneribus abhorrentem unisque eundem litterarum studiis deditum, non de suis modo rebus sermo est, sed de iis praesertim quae ad rempublicam spectant iudicium fertur, idque tanta fit iudiciorum copia, ut eas dedita opera ita scripsisse suspicari liceat, quo et suam de his rebus tutius sententiam ferret et ab aequissimi animi homine prudentissimique ipse probaretur. Ex litteris vero ad Quintum fratrem missis memoratu in primis dignissima est ea, qua ad eum cui Asiae imperium in tertium annum prorogatum erat, egregia de provinciarum administrandarum ratione

*Ciceronis epistulorum libri*

*Cic. I. ad Quint. fr. 1.*

praecepta tradit, eundemque cohortatur ut famae suae, quam minus secundam esse noverat, in posterum humanitate aequabilitateque in iure dicundo consulat magis. Libri autem epistularum duo, quas misit ad Brutum, eiusne sint necne multis utrimque argumentis criticorum, qui dicuntur, in contentione adhuc positum est. Non enim desunt qui eas imitando a rhetore quodam recentiore ex Cicerone expressas esse censeant; nos autem cum longum sit rem totam huc et referre et ex nostra sententia iudicare in controversia doctissimorum relinquimus et humanistarum auctoritatem sequemur, qui illas Ciceronis esse ne in dubium quidem revocaverunt.

CXXXVIII. Tractationem hanc non concludam, quin Scipionis somnium referam, quod cum legere solitus essem, incredibili delectatione afficiebar. Est enim in illo mirifica reipublicae species, qualis melioribus temporibus floruit, poeticis quibusdam coloribus picta et divino quasi lumine illustrata; est insatiabilis quaedam cupiditas et certa quasi expectatio immortalitatis, cui contantissime nobilissimus scriptor Romanorum omnium studuit. At non meis verbis somnium referam, ne deteriorem faciam rem quae in litteris Latinis habetur in pulcherrimis. Scipionem Aemilianum somnium narratem inducit, quod in Masinissae domo apparatu regio acceptus, postquam cubitum discessit, habuit in nocte: « *Africanus* » ait « *se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius, quam ex ipso erat notior; quem ubi agnovi, equidem cohorrui, sed ille: Ades, inquit, animo et omitte timorem, Scipio, et quae dicam trade memoriae. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella nec potest quiescere?* — ostendebat autem Kartaginem de excelso et pleno stellarum illustri et claro quodam loco — ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles. Hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Cum autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris censorque

*Somnium  
Scipionis*

*fuertis et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum consul absens bellumque maximum conficies, Numantiam excindes. Sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendes rem publicam consilii perturbatam nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque ii numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur; tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac, ne multa, dictator rem publicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Laelius ingemissentque vehementius ceteri, leniter arridens Scipio: St! quaeso, inquit, ne me e somno excitetis et parumper audite cetera. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruuntur: nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur; harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur». In secunda parte eadem orationis suavitate patrem suum Paulum sibi in somnio advenientem obtulisse narrat, quem ut vidit, vim lacrimarum profundisse. Hic filium ad se in caelum venire optantem properantemque docet a piis omnibus retinendum animum in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est hominibus datus, ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videantur. Deinde ad virtutes colendas eum adigit. « Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est; ea vita via est in*



*caelum et in hunc coelum eorum, qui iam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides — erat autem is splendidissimo candore inter flammam circus elucens — quem vos, ut a Graecis accepistis, orbem lacteum nuncupatis* ». Pulchritudinem deinde caeli describit et stellarum magnitudinem, quae terrae magnitudinem facile vincunt, dulcēque sonum, qui intervallis disiunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu ipsorum orbium efficitur et acuta cum gravibus temperans variis aequabiliter concentibus undique sonat auresque suavissime complet. « *Haec ego* » addit « *admirans referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus: 'Sentio' inquit 'te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari; quae si tibi parva, ut est, ita videtur, haec caelestia semper spectato, illa humana contemnit. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam consequi gloriam potes?* » Aeternam et infinitam gloriam in terris adsequi viros posse negat, terra enim ipsa angustis finibus continetur et fama oblivione posteritatis extinguitur; quocirca in praemiis humanis spem non ponendam esse ait, sed in melioris aevi expectatione. Naturam propriam animi exercendam esse optimis in rebus, ut bene meritis quasi limes ad caeli aditum pateat. « *Sunt autem optima* » concludit « *curae de salute patriae, quibus agitalus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit; idque ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dederunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur.* »

Divina haec mihi videntur et viro praestantissimo quam maxime digna, qui cum orationes multas scripsisset atque multos libros de

Quint. X. Instit.  
I. 118.

eloquendi arte, et de philosophia, et litteras suavissimas lepidissimasque, tanta sententiarum gravitate, tantaque sermonis elegantia, mirificum iudicium a Quintiliano illud tulit: « *Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis* ».

PUBLIUS VIRGILIUS MARO

CXXXXVIII. Epicum poema, ut a Ciceronis temporibus ad memoriam Augusti progrediamur, quod longum annorum spatium in litteris Latinis iacuerat, hoc felicissimo saeculo ad maturitatem eam pervenit, ut Camoenae e Graecia, Heliconiis sedibus relictis, quas incoluerant, in Italiam remeare Capitoliumque ovantes cum populo, omnium terrarum orbis principe beataeque scandere visae sint. Gentibus enim populisque pacatis, rerum omnium felicitas et expectata saeculorum pax et quasi tranquillitas tamquam poetarum florem Virgilium fudit, qui amplitudinem imperii et nominis Romani magnificentiam suis concelebraret carminibus, idemque beatissimi saeculi illius effigiem in perpetuum expressam insculperet. P. Virgilius Maro, poeta toto litterario orbe clarissimus, natus est Ande, ignobili ante eum in Mantuae suburbiis pago Idib. Octobr. anni sescentesimali octogesimi quarti post Romam conditam. Ex tenebris ipse in lucem Italiae, et patriam ignotam et familiam suam, quae obscura fuerat, apud omnem posteritatem vocavit. Memoriae traditum est opificem quendam figulum eius patrem fuisse, vel, ut alii putant, Magii cuiusdam viatoris mercenarium initio, mox ob industriam generum; qui cum silvis coemendis curandisque apibus esset a socero praepositus, rem quandam familiarum ex laboris sedulitate sibi comparavit. A patre itaque filii studiosissimo in viciniorem urbem Cremonam Virgilius mox adolescentulus